



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 14. Caraffæ Cardinalis consilium se tanquam legatum in Franciam conferendi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](#)

**Sæcul. XVI.** mas Florentiæ Dux Gallorum metu so-  
**A.C. 1556.** luti nihil contra Pontificem moverent,  
 sed etiam Senas, aliaque loca, quæ in  
 Senensium ditione hoc bello occupa-  
 vere, restituerent, ut Pontificem pla-  
 tum habeant, cum in confessio esset, nec  
 dubitarent Hispani, quin in generosi,  
 ac constantis Pontificis potestate situm  
 sit, regnorum in Italia possessiones, ad  
 quem velit, arbitrio suo transferre, &  
 in quamcunque partem propendeat, ma-  
 ximum momentum habere.

## §. XIV.

*Caraffæ Cardinalis consilium se tan-  
 quam Legatum in Franciam  
 conferendi.*

**Pallav. l. 13.** Cum omnia hæc Caraffæ Cardinalis  
**c. 16.** molimina in irritum caderent, ipsus  
**Thuan. l. 17.** in Franciam profici sci sub honorificæ  
**ss. 2.** legationis obtentu constituit: ast Turnonius Cardinalis nullum non movebat  
 lapidem, ut illum ab hoc proposito ab-  
 sterreret, quo circa eidem exponebat, quod  
 Pontificis, atque adeo Regis negotia  
 præsentiam ipsius exigerent. Porro  
 Turnonius hoc prætexebat, cum tan-  
 quam vir prudens, qui fœdus illud, &  
 negotium omne ut regno nocivum sem-  
 per ab initio detestatus fuerat, pro in-  
 nato in patriam amore vereretur, ne  
 Caraffa

Caraffa inquieti animi homo res indu- Sæcul. XVI.  
 ciis compositas interturbaret, & favore A.C. 1556.  
 in aula sperato adjutus Franciæ Re-  
 gnum funesto bello implicaret.

Verum Caraffa Turnonii monitis  
 surdas præbebat aures, imo etiam a Pa-  
 pa Patruo suo, ut hanc Legationem obi-  
 re ipsi licitum foret, facile impetrabat,  
 potissimum eo nomine, quod nequidem  
 impetrare potuisset, ut Galliarum Rex  
 urbes, quas in Senensi ditione usurpa-  
 verat, Pontifici restitueret, cum tamen  
 Papæ Nepotes has urbes tradi eo ar-  
 dentius desiderarent, quo certius sibi  
 exinde Principum amicitiam non modo  
 conciliare, sed etiam illos ad expeten-  
 dum cum eis foedus constringere valui-  
 sent: Ea igitur ex caufsa Pontifex hoc  
 anno die decima Aprilis Caraffam Car-  
 dinalem in Gallias Legatum decernit,  
 perinde acsi illum, ut inducias cum Cæ-  
 sare initas Henrico Regi gratularetur,  
 atque ad firmam pacem hortaretur, ab-  
 legaret: eodem tamen tempore Scipio-  
 nem Rebibam Motulanum Episcopum,  
 paulo ante Cardinalium collegio adscri-  
 ptum ad Cæsarem, ac Philippum Hi-  
 spaniæ Regem, qui ambo in Belgio mora-  
 bantur, eo fine mittebat, ut idem ob-  
 sequium eis deferret.